GREGORIUS MAGNUS. LEO MAGNUS
1. Viertel 12. Jh. Seite 20r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36532
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



currant. Vnde alias scriptum est. Thronus eius flamma ignis. rote eius ignis
accensus. Hi enim qui animarum custodes sunt. et pascendi gregis onera
susceperunt. mutare loca, minime permittuntur. sed quia uno in loco positi diuinitatis
in se presentiam portant. et ardent. thronus dei flamma ignis dicitur. Hi autem
qui amore domini in predicatione discurrunt. rote eius ignis ardens sunt. quia
cum ex eius desiderio peruaria loca discurrunt. unde ipsi ardent. et alios
accendunt. Potest tamen discursus atque mutabilitas spiritus requisitione
alterius considerationis intelligi. In sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam
uirtutes semper permanet. iuxta quasdam uero recessurus uenit. et uentu
rus recedit. In fide et enim spe atque caritate et in bonis aliis sine quibus
ad celestem patriam non potest perueniri. sicut est humilitas. castitas. iusticia
atque mia. perfectorum corda non deserit. In prophetie uirtute. doctrine facun
dia. miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest. aliquando se
subtrahit. Adest ut eleuentur. et semetipsum subtrahit ut humilientur. adest
ut eos ostensa uirtute glorificet. recedit ut semetipsos subtracta eius
uirtute cognoscant. adest ut ostendat qui per ipsum sint. recedit ut pa
tefaciat qui uel quales remaneant sine ipso. In his itaque uirtutibus
sine quibus ad uitam minime peruenitur spiritus sanctus in electorum suorum cordibus per
manet. unde recte stabilis dicitur. in his uero per quas sanctitatis uirtus ostenditur.
aliquando misericorditer presto est. et aliquando recedit. Discurrens ergo
et mobilis dicitur spiritus. quia in signis atque uirtutibus iuxta unicuiusque uotum
continue non habetur. Bene autem inter sancta animalia discurrere perhibetur. Dis
cursus quippe ad celeritatem pertinet. Interpfectos autem discurrit spiritus.
quia et si ab eorum cordibus ad momentum recesserit. citius redit. Sequitur. Et ani
malia ibant. et reuertebantur in similitudine fulguris coruscantis.
Cum superius dictum sit non reuertebantur cum ambularent. qua ratione nunc
dicitur animalia ibant et reuertebantur. Valde sibi hec uidentur esse contra
ria. quia ibant et non reuertebantur. ibant et reuertebantur. Sed qualiter intelli
gendum sit citius agnoscimus. si duas uitas actiuam scilicet et contempla
tiuam sollicite discernamus. In una enim fixi permanere possumus. in altera
autem intentam mentem tenere nullo modo ualemus. Cum enim torporem nostrum
relinquimus. nosque ipsos ad bone operationis studium excitamus. quo ali
bi nisi ad actiuam imus. aqua reuerti post nos nullo modo debemus. quia
qui post illam ad torporem negligentie. ad prauitatis nequitias quas

+ VI
Quid significet
animalia ire
et reuerti